

alterni; ideoq; & per Cap. IV. æquales. Unde evidens est in omni Triangulo tres angulos simul sumtos æquari duobus Rectis.

II. Tres anguli cujusvis Trianguli simul sumti æquantur tribus Trianguli alterius angulis simul sumtis.

Perpicuum hoc est ex priori Theoremate. Illius enim æquè atq; hujus Trianguli omnes tres anguli simul sumti æquantur duobus Rectis vel 180. grad. per antecessens Theorema: igitur si maximè differant singuli anguli illius à singulis hujus, omnes tamen simul eandem utrobique summam faciunt.


III. Omnis Trianguli duo anguli, quomodocunq; accipiantur, duobus Rectis sunt minores.

Cum enim in quovis Triangulo tres anguli æquantur duobus Rectis: necesse est duos angulos omninò minores duobus Rectis, tertiumq; duorum illorum ad duos Rectos complementum esse.

IV. In omni Triangulo, cujus unus angulus fuerit Rectus vel Obtusus, reliqui duo sunt Acuti.

Si enim duo Recti darentur, æquarentur duo alicujus Trianguli anguli duobus Rectis, quod ἀόυστατον est ex antecess. proxim. Theoremate. Si verò præter Rectum

Obtusus daretur, aut duo Obtusi, tum superarent duo Anguli duos Rectos, quod iterum contra mentem est ejusdem Theorematis. Sed & ex apposito Schemate manifestum est, tres lineas AB, AD, & BE duos angulos Rectos constituentes non concludere spacium (quod multò minus facerent, si ad hiatum duorum Obtusorum usq; sibi mutuò abnuerent) ideoq; nullum Triangulum omninò con-



nò con-